

stragem edidit. Contra vero ab hostium tormentis Præfectus Auriae interfectus, navarchus vulneratus; cumque propius accessissent, sclopettis, atque aliis armis res agebatur, Genuensibus hostium ictus celeritate, ac dexteritate eludentibus. Dum acerrime utrinque pugnatur, tres, quæ cum Lomellino erant, triremes supervenere, impressioneque facta, victoria Auriae aspirare cœpit: nam Moncata vulneribus confossus, lapidibus, atque ignibus, qui e malis triremium jaciebantur, obrutus, dimicans occubuit. Quatuor triremes hostium demersæ, biremes captæ, duæ tantum, victoriam penes hostem esse, cum animadverterent, vix fuga saluti consulere. Vastius Marchio, atque Ascanius Columna, Princeps Salernitanus, Sanctacru-
 cius, Camillus Columna, atque alii nobilitate, & virtute clari in potestatem Auriae venire: occisorum numerus supra mille fuit, quamvis non sine Gallorum clade.

*Federatorum
 contra Hispanos vi-
 soria.
 Ugonis Moncata obitus.*

*Cæsareani
 Duces a fæderatis ca-
 pri.*

Devictis maritimo prælio hostibus, Lautrechius spe Neapoli potiundi erectus, certum victoriæ appropinquantis fructum prope tenere videbatur, atque eo magis, quod Petrus Landus Venetæ classis imperator cum viginti triremium numero supervenerat; qui prius in Apuliam profectus, cum in Massensem sinum se recepisset, omnia oppida, quæ ex fœdere Venetis contigerant, adeptus fuerat, nempe Tranium, Molam, Polinianum, Monopolim, Iapigium, atque Brundisium, cujus urbis tantum arces a Cæsareanis tenebantur; Augustinoque Amulio Legato totius oræ, atque urbium custodiam mandaverat. Ipse Neapolitana litora legens, sex triremibus Cajetæ, totidem Cumis ad propugnandam oram positis, cum reliquis maria urbi proxima præterlabens, adeo clauserat, ut nil com-
 meatuum ad hostes importari posset; atque iis, qui ad animalia abigenda nonnunquam exire consueverant, itinera adeo intercluserat, ut ceteris aditibus vel ablatis, vel aquarum illuvie præpeditis, cum aliquantisper excurrere loca mari proxima coacti essent, tormentorum, quæ ex triremibus Venetis displodebantur, metu intra moenia se continerent. Molas quoque nonnullas frumentarias occupavere, quibus ad molenda frumenta Cæsareani utebantur, ut iis ademptis, cum facultas ex tritico farinas conficiendi non adesset, coquere illa, atque militibus distribuere cogerentur. Laboranti vero multarum re-
 rum

*Petri Landi ad Neapolim advē-
 tus.*

*Hispanorum
 inopia.*